



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus VIII. De Schismaticis & Ordinatis ab eis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

pacem & tranquillitatem publicam perturbat: ut luculenter demonstrant clades, quibus proximè exactis duobus seculis, plerasque & florentissimas Europæ provincias devastavit, ut latè ostendit Ribadaneira *Lib. 1. de Princip. Christi. à cap. 27.*

Neque obstat mos Ecclesiæ primitivæ; hæc enim in Hæreticos tam severè non animadvertit; quòd propter multitudinem ac potentiam infidelium, eò tempore dominantium, & fidelium paucitatem viribus destitueretur.

Neque etiam Parabola Zizaniorum; cum ista extirpari Evangelium paterfamilias vetuerit; ne simul eradicaretur & triticum, illa extirpandi potestatem utique facturum, si absque tritici periculo

possent. Unde, sicut Hæreticos tolerare docemur, quando eorum persecutio majora mala allatura prævidetur, ut in partibus nostris Septentrionalibus accidit, sic in eos animadvertere non prohibemur, cum sine Catholicorum detrimento possunt extirpari, juxta illud Apostoli, *Aut certe malum ex vobis*, 1. Corinth. *cap. 5. V. 13.* quòd Ecclesiastica spiritualis; Secularis autem potestas corporalis mortis poenam infligendò implet; ne sine causa gladium portare existimetur, contra ejusdem S. Doctoris Gentium sententiam, Roman. *cap. 13. V. 4.* Castro de Punit. *Hæret. cap. 12. § 14.* Victoria Relett. *de Indis disp. 1. n. 8.* Becanus *cit. cap. 15. g. 6. n. 15.* & Gonzalez *in c. Ad abolendam cit. n. 14.*



TITVLVS VIII.

De Schismaticis & Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

1. Schismatis etymon ac definitio,
2. Ejus differentia ab Hæresi,
3. Et à Seditioe.
4. Segregat ab Ecclesia capite vel membris,
5. Non contrahitur solâ excommunicatione:
6. Neque solo recessu ab obedientia Episcopi:
7. Neque solùm agendò contra mandatum Papæ,
8. Vel, eum temporalem dominum non agnoscendò.
9. Schismatici sunt excommunicati,
10. Inhabiles ad beneficia,

11. Infames ac irregulares,
12. Privati jurisdictione Ecclesiastica,
13. Et à collatione Ordinum suspensi.

Hæreticis affines, & Hæretici etiam frequenter sunt Schismatici & Apostatæ; ac proinde illis, sicut propinquitate aut societate criminum, sic explicationis ordine conjungendi.

Schisma, à quo Schismatici, si nominis etymon, Scissura, *can. Schisma. 24. g. 1.* si natura spectetur, est Divisio sive discessio ab unitate Ecclesiæ, quatenus hæc est corpus mysticum ex universis fidelibus tanquam membris, & Romano Pontifice tanquam capite constans, S. Thomas 2. 2.

g. 39. art.

9. 39. art. 1. & ceteri DD, secundum quos

2. Schisma ab Hæresi differt; quòd ista per se & directè opponatur Fidei, quam profitetur Ecclesia Catholica, aliquem ejus articulum negandò, vel de eo positivè dubitandò: Schisma autem Charitati, Ecclesiæ unitatem, quæ per Charitatem habetur, tollendò, ut cum *cit. D. Angelico* advertit Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 36. n. 7.* Deinde, sicut genus & species, ut notat Glossa in *can. Inter hæresin 28. V. Eodem, 24. q. 4.* quia omnis quidem Hæreticus etiam Schismaticus est; cum enim Fides fundamentum sit Charitatis, sublata unitate Fidei, tolli & perimi necesse est etiam unitatem, quæ habetur per Charitatem, Laiman *Lib. 2. tract. 3. cap. 11. n. 5.* contra schismatici, licet plerumque à Fide deficiant, ut patet in Schismate Anglicano & aliorum Septentrionalium, qui non solum à Romani Pontificis Obedientia; sed à Fidei quoque dogmatis recesserunt: non tamen necessario, aut semper Hæretici sunt, ut patet in Orientalibus, qui à Romani Pontificis obedientia quidem sæpe recesserunt: aliquando tamen, licet non diu, omnes Fidei Catholicæ articulos fuerunt professi. *Non diu, inquam;* quia nullum Schisma diu consistit sine hæresi: imò ad hanc via semper esse solet; cum, qui, insuper habitis censuris Ecclesiasticis, summo Pontifici, tanquam Universalis Ecclesiæ capiti, obedire pertinaciter detrectat, huic non obediendum, qui Fidei error est, *Extravag. Unam sanctam, de Majorit. tacitè* profiteatur, S. Thomas *cit. art. 1. § 2.*
3. Idem etiam differt à Seditio; quia, licet istius instar etiam Schisma peccatum sit Discordiæ, contrarium Charitati & Unitati, seditio tamen solum politici sive temporalis, ut sunt Regnum, provincia, civitas &c. Schisma autem Ecclesiastici

corporis unitati adversatur, inducendò dissensionem & discessionem spirituales; non, ut seditio facit, pugnam solum corporalem, ut cum *cit. S. Thoma q. 42. art. 1.* advertit Farinacius *Prax. Criminal. q. 184. §. 1. n. 6.* Unde

Schismatici propriè dicti sunt Primò, qui Romano Pontifici tanquam summo universalis Ecclesiæ capiti subesse, eique cum aliis membris debitam reverentiam obedientiamque exhibendò nolunt communicare, Sylvester *V. Schismaticus pr. & Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 36. n. 3.* Secundò, qui à cæteris Ecclesiæ membris recedunt, spirituales actiones, ut sunt Orationes, jejunia, Sacramentorum administrationes ac receptiones & alias functiones spirituales non, ut pars Ecclesiæ, sed seorsim, quasi essent corpus ab illa distinctum, exercendò, Sanchez *cit. cap. 36. n. 2. & Farinacius q. 184. n. 3.*

Schismatici contra propriè non sunt Primò solummodo excommunicatus; quia à fidelium communione non ipse se separat, sed potius ab Ecclesia segregatur, Joan. Andr. in *hanc Rubric. n. 3.* ubi Panormit. *n. 1. & Farinac. q. cit. n. 6.* Secundò, recedens ab obedientia unius Episcopi & diocesis communicatione, si in obedientia Papæ & communicatione cum aliis Ecclesiis perseveret, *cit. Panormit. n. 1. § 2. Sanchez n. 6. & Farinac. n. 7.* asserens, à tali non incurri poenas Schismaticorum. Tertio, solummodo agens contra summi Pontificis præceptum vel prohibitionem; quia cum tali inobedientia stare potest recognitio subjectionis respectu Papæ, & communicatio cum ipso atque aliis Ecclesiæ membris, ut cum *cit. S. Thoma q. 30. art. 1.* docent *cit. Sanchez n. 3. & Farinacius n. 11.* Quarto, Papam non recognoscens, tanquam dominum temporalem alicujus provinciæ vel civitatis; quia sic non recedit ab unitate Ecclesiæ, qua-

fiat, quatenus est corpus mysticum, si illum hujus caput in spiritualibus recognoscat. Simili modo Schismatica propriè non est sejunctio & discessio à reliquis Ecclesiæ membris, quatenus Republicam merè Civilem, & non Ecclesiæ corpus constituunt, Sylvester *pr. cit.* Azor *p. 1. Instit. lib. 8. cap. 20. q. 4. & cit. Sanchez n. 4.* Unde

Inferitur, Schismatis peccatum esse gravissimum: nec veniale esse posse ex materiæ parvitate; cum scindere Ecclesiæ unitatem, ab eaque in re quacunq; recedere, arrogantia & superbia diabolica, & Ecclesiæ Catholicæ gravissimus sit contemptus, ut cum Valentia 2. 2. *disp. 3. q. 15. p. 2. pr. observat cit. Sanchez n. 9. & Palao Tract. 6. disp. 4. p. 5. n. 5.*

9. Quare in Schismaticos, à summi Pontificis obedientia temerè & pertinaciter recedentes, meritò constitutæ sunt graves poenæ: quarum

Prima est, excommunicatio major, *can. Nulli 5. dist. 19. & can. de Liguribus, 23. q. 5.* Quæ, licet antiquò fortassis fuerit ferendæ, modernò tamen Jure extra omnem controversiam lata sententiæ est, & summi Pontificis absolutioni reservata, Bulla Cœnæ *can. 11. Suarez de Conjur. disp. 21. s. 2. à n. 12. & Barbosa in c. fin. n. 6.*

10. Secunda est, inhabilitas ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas, præsertim Episcopalem. *Quia diligentia 5. de Elect. quæ verisimilitus etiam post peractam poenitentiam & Schismatis abjuracionem perseverat, ut cum cit. Azor cap. 20. q. 8. Sanchez n. 18. & Farin. q. 184. n. 36. docet Barbosa in c. Quia cit. n. 2. quòd, Schismate jam ejuratò, in Episcopum electus c. cit. dispensativè permissus sit confirmari, factis clarò indicio inhabilitatis permanfuræ, si dispensatio non accessisset. Eosdem beneficiis ac dignitatibus ante Schisma obtentis ipsò Jure privatos, cum Flaminio Lib. 3. de Resignat. q. 1. n. 36. ex-*

istimat Farinacius *q. cit. n. 42.* propter textum *c. Unici in 6.* Verum, quia severissima hæc Bonifacii VIII. Constitutio à Benedicto XI. *Extravag. Unic. inter Communes,* exceptà honorum confiscatione, revocata fuit, teste Barbosa *in c. Quia cit. n. 2.* Schismate, quod cum Hæreli conjunctum non est, illorum privationem induci, cum Garcia *p. 11. de Benef. cap. 10. n. 151. negant cit. Sanchez n. 19. & Palao disp. 4. p. 6. n. 15.*

Tertia est, infamia & irregularitas, 11. quæ tamen non specialis; cum nullum de ea Jus extet: sed generalis tantum & orta est ex criminis enormitate; & propterea non contrahitur, si Schismatis crimen notorium non sit, aut infamia per poenitentiam sublata cesset, *cit. Sanchez n. 20. in fine, Farinac. n. 42. & Palao n. 16.*

Quarta est, privatio Ecclesiasticæ jurisdictionis, *can. Novatianus 6. V. Qui ergo, 7. q. 1. & can. Didicimus, 24. q. 1.* quòd textu relatus S. Cyprianus ait, *Hæreticos & Schismaticos nihil habere potestatis ac juris Ecclesiastici:* ob cujus defectum à prælatis Schismaticis factæ collationes beneficiorum, & rerum Ecclesiasticarum alienationes à Concilio Lateranensi *c. 1. cit.* Ecclesiarum uniones, concessionibus Indulgentiarum, sententiæ censurarum & ab his factæ absolutiones pro irritis habentur à S. Thoma 2. 2. *q. 19. art. 3. Azor p. 1. Instit. lib. 8. cap. 20. q. 9. & 12. Farinac. cit. q. 184. n. 43. & Palao cit. disp. 4. p. 6. n. 1.*

Quinta demum est, suspensio ab Ordinibus, à Schismatico scienter receptis, 13. ut colligitur ex *can. Ordinationes, 9. q. 3. c. 1. & c. fin. hâc Rubr.* licet enim Ordines ab eo suscepti quoad consecrationem validi sint, & imprimant characterem, officium tamen, sive ab iis susceptorum Ordinum actus sine dispensatione nequeunt exerceri, Glossa *in c. 1. cit. V. Irritus, ubi Vivianus & Barbosa n. 1.*

TITU.